

suos adjunxit, qui tractatus ceptos continuarent, eventu haud feliciori forsitan potituros, nisi caeso ad Pilznam Procopio, et Nobilitate praevalente, Tabularum et Orphanorum audacia cecidisset. Abhinc enim mollius jam auditis Legatis, prope finem A. 1433. scribi Pragae ceperunt Compactata: quibus dum plura addi aliaque concedi, per litteras subin ac missos Basileam rursus Legatos, frustra esset postulatum, ea tandem A. 1436. Iglaviae consummata sunt et firmata. In his Legati quidem Concilii usum calicis, adjecta tamen cautela, indulserunt; et de capitibus reliquis Catholicam doctrinam a postulatorum mente alienam exposuerunt: Bohemi autem declarationem doctrinae datam se recepturos, et dispensatione ad praescriptam normam usuros pollicebantur. Ex his compactatum de Eucharistia integrum hic damus, simulque adjicimus de eadem decretum fidei, juxta communionem opinionem sessioni 30^{ae} insertum, ab Augustino tamen Patricio ad 25^{am} relatum, et hinc communi Patrum consensu conditum. Compactatum de Eucharistia sic habet: *Ut Bohemis ac Moravis suscipientibus Ecclesiasticam unitatem ac pacem realiter et cum effectu, et in omnibus aliis, quam in usu communionis utriusque speciei, fidei et ritui universalis Ecclesiae conformibus, illi et illae, qui talem usum haberent, communicarent sub duplici specie, cum auctoritate Domini nostri Jesu Christi et Ecclesiae sponsae ejus. Et hunc articulum in sacro Concilio discussum iri quoad questionem de praeepto, et constituendum quid circa illum articulum pro catholica veritate sit tenendum et agendum ad utilitatem et salutem populi christiani. Et omnibus mature pertractatis, si nihilominus in desiderio communionis sub duplici specie perseveraverint, sacrum Concilium Sacerdotibus dictorum Regni et Marchionatus, communicandi sub utraque specie populum, eas videlicet personas, quae in annis discretionis constitutae reverenter et devote postularent, facultatem in Domino pro eorum utilitate et salute concessurum. Hoc semper observato, quod Sacerdotes sic communicantibus semper dicerent: ipsos firmiter credere debere, quod non sub specie panis caro tantum, nec sub specie vini sanguis tantum, sed sub qualibet specie est integer et totus Christus. Concilii decretum ita definit ac disponit: Decernit et declarat eadem sancta Synodus, quod fideles Laici sive Clerici communicantes, et non conficientes, non adstringantur ex praeepto Domini ad suscipiendum sub utraque specie, panis scilicet et vini, sacrum Eucharistiae Sacramentum. Sed Ecclesia, quae regitur Spiritu veritatis secum manente in aeternum, et cum qua Christus manet usque ad consummationem saeculi, ordinare habet, quomodo ipsis non conficientibus ministretur, prout pro reverentia ipsius Sacramenti et salute fidelium viderit expedire. Sive autem sub una specie sive sub duplici quis communicet, secundum ordinationem seu observationem Ecclesiae, proficit digne communicantibus ad salutem. Nec ullatenus ambiendum est, quod non sub specie panis caro tantum, nec sub specie vini sanguis tantum, sed sub qualibet specie est integre totus Christus. Laudabilis quoque consuetudo communicandi laicum populum sub una specie, ab Ecclesia et sanctis Patribus rationabiliter introducta, et hactenus ditissime observata, et a Doctoribus divinae legis sacrarum Scripturarum et Canonum multam peritiam habentibus, jam a longaevo tempore commendata, pro lege habenda est; nec alicui licitum est reprobare, aut sine auctoritate Ecclesiae ipsam immutare. Quid porro superiore indulgentiae promissione effectum fuerit, narrat Jacobus Card. Papiensis, dum L. 6. Com-*

mentariorum scribit, Bohemos ex illo tempore non petiisse Calicem, non indulsisse Synodum ultro, a Romano etiam Praesule tale quidquam nec postulatum esse, nec comprobatum: ipsos etiam, qui Compactatis se defendere solebant, illa eadem contempsisse verius quam non servasse: siquidem pueris passim et dementibus, non de pane tantum, sed et de Calice ministrasse; invitos quoque et non postulantes ad Calicem adegisse; Sacramenta Ecclesiae et sepulchra publicosque honores iis qui illum non vellent, per injuriam ademisse; de mysterio etiam tam panis quam vini nihil plebibus juxta conditum annuntiasse: postremo nec Romanae Sedis institutis, a qua longe errabant, in caeteris assensisse, compertum habetur,

ARTICULUS II.

Penes quem jus sit convocandi Concilium generale, et convocato praesidendi?

139. *Nota.* Convocare non tantum dicitur is, qui voce aut litteris indicit locum diemque Concilii, atque ad id invitat aut evocat; sed qui jure haec agendi pollens, consentit aut petit indici ab alio, vel indictionem saltem ratam habet. Similiter praesidentis quidem munus est, praeter honorem sessionis et suffragii praecipuum, dirigere conventum, proponendo tractanda, concludendo determinata, et pronuntiando ac promulgando conclusa: neque tamen aut per seipsum, aut haec omnia simul necessario praestat; sed satis est vel per Legatos ea facere, vel quaedam tantum praestare, aliis aliorum industriae permissis. De gemino hoc munere una agimus: quia sicut utriusque eadem sunt fundamenta; sic diverse licet sentientium eadem est responsio. Et Catholici quidem plerique Pontifici Romano utrumque officium tribuunt; posteriorum autem temporum sectarii seculari Magistratui, praesertim Imperatori delatum volunt; quibus se jungunt nonnulli politici, qui religionis negotia supremam Reipublicae potestati non tantum protegenda, sed et judicanda subjiiciunt.

Agitur autem hic unice de Concilio generali: quia utraque pars facile convenit, Synodi Dioecesanae Episcopum, Provincialis Archiepiscopum, Nationalis Patriarcham vel Primatem esse auctorem ac praesidem; altera autem potestatem in generale Concilium ex illa in minores coetus, vel vicissim, deducit.

140. *Dico I.* Jus convocandi generale Concilium ordinarie spectat ad summum Pontificem. *Prob.* Qui ex auctoritate Christi habet curam et providentiam universae Ecclesiae, praepositus est pascere oves et agnos, h. e. jurisdictionem exercere in fideles et pastores, omnes denique Ecclesiastica potestate cogere valet; ad eundem spectat jus convocandi Concilium generale: tum quia hoc est juxta Matth. 18. *In nomine Christi congregare* universam Ecclesiam, quam Concilium generale repraesentat; tum quia sicut politica potestas convocandi comitia Regni aut Reipublicae pertinet ad supremum inter omnes aut primum; sic Ecclesiastica potestas congregandi fidelium Concilium ad Ecclesiae Primatem aut Principem spectat. Sed solus Pontifex Romanus, nullus autem politicus magistratus, ex auctoritate Christi hanc curam, praefecturam ac potestatem tenet; ut ex Cap. seq. constat: ergo et solus Pontifex Romanus jus possidet convocandi Concilium generale.

Conf. 1. Ex Conciliorum actis. Chalcedonense Act. 1^a. prohibet Dioscorum sedere inter Episcopos, pro ratione asserens: *Quia Synodum ausus est facere sine auctoritate Sedis Apostolicæ, quod nunquam licuit, nunquam factum est.* Constantinopolitanum III. Act. 6^a. irritum declarat Iconoclastarum Concilium, quod sine consensu Pontificis indixerat Constantinus Copronymus. Lateranense V. Sess. 11^a. in Decreto *Pastor æternus*, declarat ex monumentis Ecclesiasticis manifeste constare, quod solus Romanus Pontifex, tanquam auctoritatem super omnia Concilia habens, tam Conciliorum indicendorum, quam transferendorum ac dissolvendorum, plenum jus et potestatem habeat.

2. Ex Ecclesiasticis documentis. Julius I. in epist. ad Orientales apud Cassiodor. in Hist. Tripart. scribit: *Canon Ecclesiasticus est non debere absque sententia Romani Pontificis Concilia celebrari.* Hunc Canonem Apostolicum vocat Marcellus in epist. ad Episcopos Antiochenos; Renovatum in Conc. Nicæno scribit Synodus Alexandrina in epist. ad Felicem Papam; Socrates L. 2. hist. c. 13. et Sozomenus L. 3. Hist. c. 9. referunt. Pelagius II. in epist. ad Joannem Constantinopolitanum et ejus Synodum scribit: *Generalium Synodorum convocandi auctoritas Apostolicæ Sedi B. Petri singulari privilegio est tradita; et nulla unquam Synodus rata legitur, quæ Apostolica auctoritate non fuerit fulta.*

3. Ex Imperatorum confessis. Valentinianus apud Sozom. L. 6. c. 7. inquit: *Mihi, qui sum in sorte plebis, fas non est talia curiosus perscrutari: Sacerdotes vero, quibus ista curæ sunt, quocumque voluerint loco convenient.* Theodoricus Rex convocans Romanam Synodum contra Symmachum, ut Episcopos audientes haberet, ostendere debuit litteras, quæ Papa ipse voluntate sua Synodum convocatam testabatur. Idem circa Symmachi causam consultus a Patribus, respondit in Synodi esse arbitrio, in tanto negotio sequenda præscribere; nec aliquid ad se, præter reverentiam, de Ecclesiasticis negotiis pertinere.

4. Ex factis frequentibus. Œcumenica enim Concilia occidentalia omnia a Pontifice sunt indicta: Orientalium autem indictio vel consensu vel ratihabitione Pontificum fuit firmata; ob alterutrius defectum Ephesinorum, Constantinopolitana sub Leone et Copronymo Iconoclastarum, Pisanum Schismaticorum, et alia sunt reprobatæ.

141. *Objic.* Concilia œcumenica Orientalia omnia convocata sunt ab Imperatoribus, ut in C. VIII. Vicarii Sedium Orientalium asserunt: *Scitis quia in præteritis temporibus Imperatores erant qui congregabant Synodos, et ex toto terrarum orbe ad dispositionem hujusmodi causarum colligebant:* Singillatim vero convocatum esse Nicænum I. a Constantino Magno, testatur Euseb. in vita L. 3. c. 6, Socrat. L. 1. c. 6, Rufin. L. 10. c. 13. Constantinopolitanum I. a Theodosio Seniore, Theodoret. L. 5. c. 9. et Socrat. L. 5. c. 8. Ephesinum a Theodosio Juniore, Evagr. L. 6. c. 3. Chalcedonense a Marciano, Leo epist. 43. et Act. 1^a. Constantinopolitanum II. a Justiniano, Evagr. L. 4. c. 37, et Nicephor. L. 17. c. 27. Constantinopolitanum III. a Constantino Pogonato, epist. Imperatoris, altera ad Donum Papam, altera ad Georgium Constantinopolitanum, et Patres in Act. 1^a. Nicænum II. a Constantino IV. ejusque matre Irene, epist. Augustorum ad Adrianum. Constan-

tinopolitanum IV. a Basilio, Act. 1^a. Ergo jure aliquo convocatio Conciliorum debetur Imperatoribus.

R. ad Arg. 1. T. A. D. Conf. Ergo jure aliquo majestatis, aut jurisdictionis in Concilia et Ecclesiastica negotia Imperatoribus debetur convocatio, N. jure aliquo advocatiæ et protectionis Ecclesiæ, aut superioritatis in loca conventus, aliaque ad illum necessaria, T. quia hi tituli jam sunt antiquati: aut si qui restant, non visi sunt sufficere, pro Occidentalium convocacione Imperatoribus permittenda. *R. 2. D. A.* Concilia œcumenica Orientalia convocata sunt ab Imperatoribus summo jure et auctoritate propria, N. ex dispensacione Pontificum, per assensum vel ratihabitionem concessa, C. Equidem non assensus quilibet vel ratihabitio dici potest dispensatio; si tamen qui solus auctoritatem rei faciendæ habet, idem fieri ab alio consentit, aut factum probat, recte dicitur ejus dispensacione vel auctoritate fieri. Atqui penes Pontificem solum auctoritatem esse convocandi generales Synodos, ostendimus supra; et eorum interventu aliquo omnes Orientales congregatas esse, non tantum ex missis eo Legatis, sed et ex aliis monumentis demonstrabimus.

De Nicæno I. Rufin. L. 1. Hist. c. 1. ait, illud a Constantino ex *Sacerdotum sententia* esse convocatum; et in Conc. VI. Act. 18^a. in Sermon. acclamatorio dicitur: *Arius insurgens, et continuo Constantinus semper Augustus ac Sylvester laudabilis magnam atque insignem in Nicæa Synodum congregabant.*

CONSTANTINOPOLITANUM I. Actione non fuisse œcumenicam constat tum ex dictis, tum ex ipsa convocacione, qua, Theodoro L. 5. c. 7. teste, Orientales tantum Episcopi jussi fuerunt convenire. Nihilominus Patres iidem Constantinopolitani anno altero Romam evocati a Damaso, quamvis profecionem excusarint, tres tamen obedientiæ Legatos illuc miserunt.

De Ephesino constat tum ex Evagr. L. 4. c. 4. illud a Cyrillo Cœlestini Vicario ad sententiam contra Nestorium exequendam fuisse postulatum: tum ex Cœlestini ad Concilium epistola, illius convocacionem a Pontifice esse approbatam.

De Chalcedonensi res patet ex epist. Marciani ad Leonem: *Superest ut, si placuerit tuæ beatitudini in has partes advenire et Synodum celebrare, hoc facere religionis affectu dignetur:* ex epist. Leonis ad Marcianum: *Litteras dedimus ad Coepiscopos nostros, iisque Concilium generale indicimus:* ex epist. Episcoporum secundæ Mœsiæ: *In Chalcedonensium civitate multi Episcopi convenerunt per jussionem Leonis Romani Pontificis.*

PRO CONSTANTINOPOLITANO II. cogendo, consensum Vigili Pontificis petitum fuisse constat tum ex Eutychiei libello fidei ad Vigilium dato, tum ex hujus ad illum litteris et constituto.

Ad CONSTANTINOPOLITANUM III. invitatum esse Pontificem, præter allatas in objectione epistolas, Epiphanius ab Imperatore missus, et Agathonis Synodica Constantinopolin scripta, et Act. 4^a perlecta confirmant.

De Nicæno II. idem docent tum Tarasii et Augustorum ad Adrianum litteræ, tum hujus ad Augustos responsoriæ, Act. 2^a recitata.

CONSTANTINOPOLITANUM IV. non tantum consensu, sed Imperio Pontificis coactum, ostendit Adriani ad Basilium epistola actioni 1^a. inserta his verbis: *Volumus autem per vestræ pietatis industriam Constantinopoli numero-*

sum celebrari Concilium. Item Anastasii præfatio Synodi hujus ad Adrianum directa : *Missisque cum auctoritate Apostolica Vicariis et Epistolis decretalibus, jussisti fieri Constantinopoli Synodum.*

Inst. 1. Euseb. in vita Constantini L. 1. c. 37. scribit : *Constantinum magnum, velut communem Episcopum, ut pacem Ecclesiis redderet ac disciplinam Ecclesiasticam sanciret, Synodos convocasse.* 2^o. Theodoret. L. 2. c. 16. narrat Liberium concessisse, ut in Imperatoris potestate sit convocare Concilia. 3^o. Hieron. L. 2. Apolog. adv. Rufin, de quadam Synodo loquens ait : *Dic quis Imperator hanc Synodum jusserit evocari.* Ergo asserunt et tribuunt hoc jus Imperatori.

R. ad 1. D. Constantinus velut communis Episcopus eorum quæ intra Ecclesiam geruntur, N. quæ geruntur extra Ecclesiam, *subd.* convocavit Synodos jure proprio, N. analogico tantum, et protectionis ergo, C. quæ ratione CONSTANTINUS se dixerit Episcopum, declaravit ipse ap. Euseb. in vita L. 4. c. 24. *Cum Episcopos aliquando convivio exciperet, se quoque Episcopum esse dixit, his fere verbis usus : Vos quidem in iis quæ intra Ecclesiam, ego vero in iis quæ extra geruntur, Episcopus a Deo sum constitutus.* Reliqua constant ex dictis.

Ad 2. R. LIBERIUM apud Theodoretum nec concessisse, nec agnovisse potestatem Synodos convocandi Imperatoribus propriam; sed a Constantio postulasse ut fieret Synodus : quod prudentiæ et necessitatis erat; cum invito Imperatore, rerum potente, Synodus congregari non posset : et infensi alias Ariani voluntas precibus facilius, quam jussioni cessura videretur.

Ad 3. R. HIERONYMUS sine sententiæ nostræ præjudicio sic quærere poterat; cum quæstio esset de facto, tum solito; nullatenus de jure.

Inst. 2. Ante Imperatores christianos nullum Concilium generale fuit celebratum : *Ex quo tempore Imperatores Christiani esse cæperunt,* Socrates in præfat. L. 5. inquit, *maxima Concilia de eorum sententiâ convocata sunt :* Pontifices ipsi, ut Leo epist. 24. ad Theodosium scribens fecit, apud Imperatores pro cogendo concilio supplicarunt : ergo.

R. ad 1. Verum est assertum; non tamen quod deficeret auctoritas, sed quia defuit opportunitas; assiduis scilicet persecutionibus Episcopales ex multis provinciis unum in locum conventus prohibentibus, ut patet ex historia.

R. ad 2. Ratio multiplex prioribus seculis interventum Imperatorum in conciliorum coactione necessarium reddebat : nempe imprimis Lex Imperialis, L. 1. ff. de Colleg. illicitis et L. 13. C. de Episcopis et Clericis relata, prohibens frequentes hominum conventus sine auctoritate Imperatoria; deinde necessitas celebrandi Synodum in urbe Imperiali, utique ab Imperatore designanda; tum sumptus ex publico in vecturam itinerantium, et in victum commorantium in Synodo Patrum expendendi : defensio denique contra Paganos ac hæreticos præstanda; tandem Pontificis æque ac Episcoporum res omnis dominio Imperatoris obnoxia.

R. ad 3. Ex iisdem rationibus postulavit LEO ab Imperatore Synodum convocari : et captanda etiam erat gratia Marciani; ne, quod in latrocinio Ephesino evenerat, Imperatoris aut Comitum missi adversa studia spem eventus perderent. Cæterum adversariorum rationem jam ante excluserat ATHAN. in

epist. ad Solitar. quærens : *Quando unquam judicium Ecclesiæ ab Imperatore auctoritatem habuit ?*

142. *Dico II.* Jus præsidendi Concilio generali regulariter ad Pontificem Romanum pertinet. *Prob.* Qui in Concilio generali habet præcellentiam respectu congregationis, superioritatem respectu congregatorum, auctoritatem respectu representati, potestatem respectu causæ; ad eum jus præsidendi Concilio generali pertinet : cum his comprehendantur, quæ in Præsidente conventus desiderari queunt. Sed Pontifex omnia ista complectitur; quia ut Primas et Pater ab ipsis Constantinopolitano et Chalcedonensi Conciliis appellatus, præcellit in congregatione : ut Successor Petri et pastor supremus, est superior Congregatis : ut Vicarius Christi et Caput visibile, auctoritatem obtinet Ecclesiæ per Concilium representatæ : ut Doctor, Judex et Papa œcumenicus, causarum omnium in Synodo tractandarum potestatem habet, quemadmodum in seqq. declarabitur : præter ipsum autem nec ulli potestati seculari, nec personæ Ecclesiasticæ saltem singulari, hæc competunt : ergo.

Conf. Concilii œcumenicis, actione talibus, hactenus præsedit semper Romanus Pontifex, vel per se, vel per Legatos : ergo præsidendi jus illi competit; cum constans adeo factum sine jure obtineri haud potuisset. *Antecedens,* exceptis Constantinopolitanis I. et II. quæ scilicet actione non erant œcumenica, quoad 1^{um} patet in Lateranensibus, Lugdunensibus, Viennensi et Florentino; quibus ipsos Pontifices præsedisse, nemo in dubium vocat. Quoad 2^{um} patet similiter ex Actis reliquorum Conciliorum per ordinem sedendi, loquendi et subscribendi. De his (abstinemus a Tridentino, quod vel ideo respuebant Protestantes quia Pontificium ex omni parte dicebant) ulterius adhuc ex monumentis aliis demonstratur.

De NICÆNO I. Gelasius Ep. Cyzicenus L. 2. Conc. Nicæni, ait : *Osius Sylvestri Episcopi maxime Romæ locum obtinuit una cum Romanis Presbyteris Victore et Vincentio.* Adrianus Papa, in epitome Canonum ad Carolum M. missa, sciendum est, inquit, *Osius inter Patres Concilii Nicæni honorabilem fuisse, atque ab Apostolica Sede cum Victore et Vincentio Presbyteris destinatum.* Grægorius VII. in Apolog. c. 3. scribit : *Osius Cordubensis, Victor et Vincentius Presbyteri Romanæ Ecclesiæ, ex parte Sylvestri Concilio Nicæno præfuerunt.* Idem de Episcopo testatur Athanasius in epist. ad Solitarios; de Presbyteris, Soer. L. 1. Hist. c. 5. Theodoretus L. 1. Hist. c. 7. et Photius Lib. de septem Synodis.

De EPHESINO. Actio 3^a. hujus Concilii dicitur habita, *Considentibus Cyrillo Alexandrino, qui Cælestini quoque Romanæ Ecclesiæ Archiepiscopi locum obtinebat, et Arcadio Episcopo Romanæ Sedis Legato, et Projecto Episcopo, qui et ipse quoque Romanæ Ecclesiæ Legatus erat, et Philippo Presbytero et Legato, et Juvenale Hierosolymitano etc.* Mennas in professione fidei, constituto Vigilii inserta, de hac Synodo loquens ait : *In qua in Legatis suis atque Vicariis, id est, Cyrillo Alexandria Episcopo, Arcadio et Projecto Episcopis, et Philippo presbytero, Cælestinus Papa Senioris Romæ præsedit.* Idem Evagrius L. 1. Hist. c. 4. Liberatus in Breviar. c. 5. Nicolaus I. in epist. ad Michaellem Imp. et alii testantur. De Cyrillo speciatim dicitur in Act. 1^a. *Considentibus Episcopis, Cyrillo Alexandria, qui et Cælestini locum obtinebat; et in Relatione ad Imperatorem missa : Ne sancta nostra Synodus suo*